



**A**lbertus filius fuit Friderici marchionis Brandenburgensis & Burgrauij Norinbergensis, atq; nepos Alberti, qui ob uirtutes Achilles Germanicus dictus fuit. mater erat Sophia regina Poloniae. natus est autē 16 Maij, anno 1430. Erat Albertus foelici ingenio insignis. itaq; optimē educatus atq; literarū studijs imbutus fuit. Cum autē magna corporis & animi fortitudine esset praeditus, ad Theutonicum ordinem se cōtulit, atq; aliquandiu sub Friderico Saxone, ordinis magistro, contra Polonos militauit. Itaq; Friderico fato functo, ipse omnium cōsensu ordinis magister electus est, anno 1511. Erat tum magna regis Poloniae Sigismundi cū

ordine contentio, dum Magistri se principes Imperij, Polonus uerō ipsos regni sui beneficiarios assereret. Itaq; cum Albertus in uerba Poloni iurare nollet, maximum bellum exortum fuit. Hoc Albertus, nullius alterius principis ope adiutus, per aliquot annos fortiter sustinuit. cum autem tota prouincia incendijs & rapinis uastaretur, cum Polono per 4. annos inducias constituit anno 1521. Interea Cæsarem de auxilijs sollicitat, atq; Norinbergę in comitijs cum alijs principibus, tanquam Imperij membrum, comparet. Verū suis postulatis, ob turbatum Germaniæ statum, efficere nihil potuit. Dum hæc fierent, induciarum tempus præterijt, atq; Polonus sese ad maximum bellum accingit. Tum autem Cæsar bello Gallico implicitus erat: Turca Vngariam inuaserat, & regem Ludouicum sustulerat: Germania seditione rusticorum exagitabatur. Itaq; cum nulla spes auxiliij affulgeret, atq; ipse solus tãti regis potentie resistere haud posset, deliberatione habita pacem cum Sigismundo Polono amiculo sanciuit, anno 1525. In ea pace ipse sese Polono submisit, atq; eius beneficiarius & cliens constituitur. Ipse uerō pro Magistro Ducali titulo à rege solenniter Cracouię insignit. Vrbes tum concessæ Königsperg, Lochstetten, Angersperg, Landssperg, Liebstatt, Rosenberg, & multæ aliæ, cum adiacenti ditione. Tum etiam decretum ut ipso mortuo Prussiae ducatus ad reliquos eius familie marchiones deuolueretur. si autem omnes contingeret sine mascula prole decedere, ut Prussia ad Polonum rediret. Hocq; modo Albertus primus dux Prussiae factus, atq; in confessu secundum locum à rege Polono accepit, quem summum suum magistratum & patronum agnouit.